

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4880

Auteur(s) : Alexandre IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Cîteaux (ordre)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : [1254-1261]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Alexandre IV décide que les statuts d'Honorius et d'Innocent ne portent aucune atteinte aux libertés et immunités des religieux de l'ordre de Cîteaux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCV, p. 207-208.

Texte établi d'après a

Alexander, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati Cistercii et ceteris coabbatibus et conventibus Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacre nostre religionis inducti meritis, votis vestris libenter annuimus, eaque vobis concedimus proque materia submota gravaminis status vestri tranquillitas procuretur. Sane nobis exponere curavistis, quod ex speciali privilegio sedis apostolice obtinetis, ut nulli omnino hominum liceat in vos vel in vestra monasteria, seu fratres inibi constitutos contra id quod ab origine vestri ordinis noscitur observatum excommunicationis, suspensionis, seu contradicti sententias promulgare felicis quoque memorie. Honorius, papa, predecessor noster, quieti vestre paterna volens diligencia providere, adiciendo de gratia potiori, suis litteris vobis indulisit, ut non solum aliis, sed nec eiam dicte sedis legatis predictas vel eiam depositionis sententias, in vos vel predicta monasteria seu sedis ejusdem speciali mandato, licitum sit proferre quas, si ex tunc proferri contingere, decrevit irritas et inanes. Insuper omnino prohibuit, ne predicti legati, procuraciones pecuniarias a vobis exigere vel extorquere presumant, sed cum ad domos vestri ordinis accesserunt sive carni esu, cibis regularibus sint contenti. Porro quia vos nuper omnia indulta quibuscumque personis, sive ecclesiasticis prelati et aliis regularibus et non regularibus, sive secularibus principibus et aliis minoribus et quorumcumque locorum, capitulis, collegiis, conventibus, et communibus, seu communitatibus a, felicis recordationis, Innocencio, papa predecessore nostro, vel vobis concessa ; quod videlicet per delegatos, conservatores aut executores, a sede apostolica deputatos seu per delegatos ab ipsis, vel per legatos sedis ejusdem aut ordinarios, seu delegatos eorum, interdicti, suspendi, vel excommunicari quodque ipsis ingressus ecclesie prohiberi, et quod terre sue interdicto ecclesiastico supponi non valeant totaliter auctoritate apostolica duximus revocanda, ita quod deinceps nullum robur, nullumque vigorem obtineant, nec premissi per ea juvare se valeant ulterius vel tueri, nisi principes ipsi sint reges, vel uxores, aut filii seu fratres regum, aut alii magnates, sublimesque viri qui antiquitus a predicta sede similem gratiam habuerunt, nos metuentes vobis per hoc prejudicium generari, apostolice provisionis super hoc remedium implorastis. Nos itaque ad petitionem dilecti filii nostri, Innocencii, tituli Sancti Laurentii in Lucina, presbiteri cardinalis, vestris precibus inclinati, quod per revocationem hujusmodi nullum libertatibus et immunitatibus vobis a prefata sede concessis, prejudicium in posterum generetur

auctoritate vobis presencium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contra ire.

Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.